

60. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 49. art. 7. q. 1. Gaudentius tom. 3. tract. 1. de beatitudine, disp. 2. q. 19. Baudunius tom. 2. tract. 2. q. 4. art. 3. Caspens. tom. 1. disp. 1. de visione, sect. 2. Bassæus verb. suffrag. num. 7. Pasqualig. q. 75. & seqq.

61. QUÆST. 3. An sacrificia, indulgentiaque pro defunctis concessa, certò & infallibiliter ipsis prodeant ex iustitiâ, aut misericordiâ? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 4. dist. 45. q. 2. art. 3. Labat tom. 6. disp. 5. dub. 3. §. 3. Salmant. de Sacram. tract. 5. cap. 3. dub. 7. num. 39. & tom. 11. disp. 13. dub. 5. §. 4. Sotus in 4. dist. 45. q. 2. art. 1. Canus lib. 12. cap. 13. Reding tom. 7. q. 12. art. 2. Controv. 6. Martinez Prado tract. 5. dub. 11. & 12.

62. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 45. q. 1. & seqq. Mastrius in 4. disp. 4. q. 7. art. 1. & 2. Macedo de Clavib. lib. 4. tract. 3. de Sacrific. cap. 3. & tract. 4. cap. 6. de indulg. Cotonius tom. 1. lib. 2. Controv. 11. cap. 1. q. 2. Cordova lib. 5. q. 19. Rodriguez tom. 2. q. 96. art. 4. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. suffrag. diff. 1. & seqq. Bofcus tom. 2. disp. 5. sect. 6. conclus. 1.

63. Ex Scholâ Eximiâ Suarez in 3. p. disp. 53. sect. 1. Amicus tom. 8. disp. 20. sect. 8. Arriaga tom. 8. disp. 23. sect. 6. subsect. 1. & 2. & disp. 24. sect. 4. subsect. 2. Carleton tom. 2. disp. 82. sect. 5. Lugo disp. 27. sect. 5. Dicastillo tom. 2. tract. 9. disp. 2. dub. 17. Muniellâ de Euchar. disp. 14. sect. 9. Henriquez lib. 7. cap. 7. num. 4. Vazquez disp. 228. cap. 4. Layman lib. 5. tract. 7. cap. 7.

64. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 45. p. 2. q. 5. Bassæus verb. suffrag. num. 6. & tom. 2. verb. indul. num. 1. & seqq. Faustus lib. 2. q. 169. Gaudentius tom. 7. tract. de indulg. disp. 2. q. 9. Diana p. 9. tract. 2. resol. 2. Gavardi tom. 6. q. 5. de Euchar. art. 6. & q. 1. de pœnit. art. 6. §. 1.

65. QUÆST. 4. An, & quomodò Christus Dominus, Beati ni patriâ, & purgatorii Animæ nunc orent pro nobis? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 4. dist. 45. q. 2. art. 3. & 3. p. q. 21. & 2. 2. q. 83. art. 11. Joannes à S. Thomâ tom. unic. disp. 27. q. 83. art. 8. Capisichus Controv. 6. q. unic. Gabriel à S. Vincentio in 3. p. disp. 21. Maurit. de Lezanâ verb. suffrag. num. 9. & seqq.

66. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 45. q. 2. & seqq. Mastrius disp. 2. q. 12. num. 340. Brancatus tom. 1. disp. 25. art. 10. Carriere tom. 2. art. 32. q. 2. & seqq. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. suffrag. num. 12. & seqq. Cotonius tom. 1. lib. 4. Controv. 1. cap. 2. Aquila in 4. dist. 45. q. 1. art. 1. & seqq.

Ex

67. Ex Scholâ Eximiâ Suarez tom. 2. de Relig. lib. 1. cap. 11. Carleton tom. 2. disp. 58. sect. 1. & 2. Valentia tom. 2. de indulg. Bellarm. tom. Controv. lib. 1. de beat. à cap. 15. Vazquez disp. 82. cap. 2. Beccan. cap. 17. q. 1. Lugo disp. 28. num. 63. Arriaga disp. 49. sect. 3. Toletus in cap. 19. Joan. annot. 34.

68. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 49. art. 3. & tom. 1. Opuscul. 39. cap. 98. Abulens. q. 141. in Matth. cap. 14. Caspens. tom. 2. disp. 12. sect. unic. Morand. q. 50. Baudunius tom. 3. tract. 1. q. 21. art. unic. Bassæus verb. suffrag. num. 5. Gaudentius tom. 4. tract. 5. disp. 4. q. 17. & tom. 6. disp. 22. q. 4.

69. QUÆST. 5. An, & quomodò Animæ existentes in Purgatorio, sive in inferno puniantur igne corporeo? De quo, dist. 44. q. 1.

70. QUÆST. 6. An peccata venialia non solum quoad pœnam, sed etiam quoad culpam remittantur in Purgatorio, sive in inferno? De quo, Authores allegati tom. 4. p. 1. dist. 15. q. 1. & 2.

71. QUÆST. 7. An peccatum veniale mortali conjunctum puniatur in inferno pœnâ æternâ? De quo, tom. 4. p. 1. dist. 15. q. 1. & 2.

DE STATU, ET CONDITIONE MALORUM post mortem.

DISTINCTIONIS QUADRAGESIMÆ-SEXTÆ SYNOPSIS.

Commiserans Judex, aliàs aequissimus, ipsos

Damnatos punit, quàm meruere, minus.

Sic incipit: Sed queritur hic.

Sic terminat: Aliquando è conversò.

1. **C**onnectitur hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de remuneratione, & punitione animarum antevertente iudicium, & resurrectionem generalem mortuorum; sed in præsentî determinat de divinâ iustitiâ, & misericordiâ, quibus prædicta dispensantur: ergo rectum inter se ordinem servant.

2. Consequentia probatur: Prius est pro hominum meritis, aut

Tom. V.

Bb

193

demeritis statuere primum, & poenam, quam de iustitia, & misericordia, quibus hæc erogantur, differere, eo quod in beatorum gloria, damnatorumque poenam iustitia, & misericordia Dei præsertim eluceat; sed Magister in superiori distinctione egit de remuneratione, & punitione animarum antevertente iudicium, sive generalem mortuorum resurrectionem: ergo in præsentem determinare de iustitia, & misericordia divina, quibus hæc dispensantur, revera erit congruam servare methodum.

3. Dividitur præsentis distinctio in duas præcipuas partes. In quarum primam, miro ac subtili modo ostendit Magister, circa damnatos etiam misericordiam divinam diffuso nitere lumine. In secunda vero, diserte adducit convenientiam, & concinnam distinctionem, quæ inter iustitiam, & misericordiam viget.

4. PRO PRIMÆ igitur partis clarâ indagine, hæc prima præfigitur thesis: *In damnatorum punitione, non solum iustitiam, verum & misericordiam quodammodo servat Deus.* Hanc congruentissimè deducimus ex Magistro inquirente in textus litterâ: An circa damnatos eluceat misericordia divina? Et postquam pro affirmante, neganteque parte, aliquas Sanctorum Patrum expressas auctoritates producit, affirmativam tandem tenet, & approbat partem.

5. Probat primò Magister assumptum ex Cassiodoro sup. Psalm. 50. dicente: *Hæc dua res, loquitur de misericordia, & iustitia, iudicio Dei semper adjuncta sunt. Ergo & in punitione malorum non est iustitia sine misericordia; sed ex eo quod in divino iudicio misericordia, & iustitia semper cohereant, sive in malorum punitione non sit iustitia sine misericordia, Deus servat iustitiam, & misericordiam quodammodo in damnatorum punitione: ergo.*

6. Secundò ex eodem Cassiodoro sup. Psalm. 100. etiam suadet intentum: *Hæc duo, quippe misericordia, & iustitia, mutua societate sibi junguntur; sed dum misericordia, & iustitia mutuâ societate, & inviolabili nexu sibi junguntur, nequeunt adinvicem separari; ergo in malorum severâ punitione misericordia à iustitia non sejungitur; sed ex eo quod mutuâ societate, inviolabilique nexu sibi jungantur, sive adinvicem non separentur, Deus iustitiam, & misericordiam in damnatorum punitione demonstrat: ergo.*

7. Tertio probat ex quadam Augustini responsione in Enchir. cap. 112. exhibitâ nonnullis, qui damnatorum poenas finiendas esse asserabant ex Psalm. 76. *Non obliviscetur misereri Deus, nec continebit in ira sua misericordias suas.* Sic Augustinus respondet: *Ad hoc non est necesse*

poenas damnatorum finire, sed aliquatenus mitigari certis temporibus, non finem supplicio dando, sed levamen cruciatibus adhibendo. Ergo si aliquatenus damnatorum poenæ certis mitigantur temporibus, aliquid levamen cruciatibus adhibendo, revera immiscet Deus misericordiam dulcedinem cum iustitiæ acerbitate: ergo in damnatorum punitione una cum iustitiâ splendet misericordia divina.

8. Quarto, ex traditis in textus litterâ poterat sic non leviter præmuniri assertum ratione: Proprium est Dei misereri semper, & parere; sed id quod est proprium Dei, nequit ipsi unquam deficere: ergo non poterit Deus aliquem remunerare, quin simul ostendat misericordiam suam: ergo nec in damnatorum punitione poterit suam promere iustitiam, quin & misericordia ejus eluceat.

9. Quintò: Sicut Deus creat in quantum unus, verus, & bonus; sic regit, & remuneratur in quantum misericors, & verus; sed implicat Deum producere effectum non continentem modum, speciem, & ordinem, quæ bonitati, & unitati cor respondeant: ergo & implicabit remunerari aliquem, quin ipsi remunerationis effectui iustitia, & misericordia respondeant: ergo dum Deus damnatos æterno punit supplicio, in ipsâ punitione miro modo splendet misericordia, & iustitia.

10. Sextò: Quia sicut iustus est Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis ex Psalm. 44. sic miserationes ejus sunt super omnia opera ejus: ergo in omni opere Dei concurrunt misericordia, & iustitia; sed damnatorum punitio est opus ipsius Dei: ergo in ipsâ damnatorum districtâ punitione ostenditur iustitia una cum misericordia Dei.

11. Confirmatur primò: Dum peccatur lethaliter peccat, offendit Deum, à quò omne bonum procedit: ergo meretur amittere omne bonum; & consequenter suum esse; sed Deus neminem ad non esse reducit: ergo quia omnes punit citrà condignum. Modò sic; sed damnati, eo quod mortaliter offendant Deum, à quò est omne bonum, merentur amittere omne bonum, suumque esse: ergo cum Deus neminem eorum ad non esse reducat, non incongruè deducitur, mirè in ipsorum punitione immisceri iustitiam cum misericordia.

12. Confirmatur secundò: Univerſa via Domini misericordia, & veritas ex Psalm. 24. Ergo nulla est via Domini, in qua non splendet misericordia, & veritas; sed damnatorum remuneratio, sive punitio est via Domini: ergo in damnatorum punitione miro modo irradiat misericordia, & iustitia.

13. Nonnulli DD. mentem Magistri super his exponentes, hæc

importuno ac moroso sermone expendunt illud satis tritum vulgare-
que theologicum proverbium : *Deus præmiat ultra condignum, & pu-
nit citra condignum.* Nos autem in te parvi ponderis, & ferè extra lit-
teram, multum immorari, incassum arbitramur. Quapropter ab eâ
nos breviter expedire, congruamque ipsi explanationem adhibere du-
ximus necessarium, nè in minimis adhuc Magistri Expositio mutila
appareat, ac diminuta.

14. Dicimus ergo, circa præfatum theologicum axioma varios Do-
ctorum fuisse discursandi modos, quos brevitatis causâ libenter præ-
mittimus modo. Omnes utique Doctores hanc maturè meditan-
tem, sic axiomatis difficultatem proponunt : Si enim Deus unicuique
hominum reddet secundum opera ejus, sive prout gessit in hac mor-
tali vita, non videtur hoc Matthæi dictum cap. 25. rectè cohærere
cum eò, quod Deus præmiat ultra condignum, & puniat citra con-
dignum.

15. Respondetur tamen, quod sicut in rerum pretiis mos est ho-
minibus distinguere pretium summum, medium, & infimum; & quem-
admodum qui rem aliquam pretio rigoroso, & summo emit, cum
tamen possit eam minori ac infimo comparare, dicimus rem compa-
rasse ultra condignum, idest, ultra æquitatis debitum : Sic Deus po-
test intra vastissimam præmiandi justorum merita de condigno lineam,
sistendo intra latitudinem justæ mensuræ, conferre præmium ultra con-
dignum : Similiter de pœnâ correspondente peccato; nam sicut in hu-
manis videmus, duas pœnas, unam alterâ majorem, justas censeri pro
eâdem culpâ, ita quod una sufficiat intra justitiæ limites pro puni-
tione delicti, & licet alia sit major, tamen justitiæ limites non excedit.

16. Rem totam exemplo, & ordine pandimus. Nam pro eodem
furto, justum est, ut fur suspendatur, vel ad triremes damnetur, quod
reverâ minus est, quam suspendi; & tamen quanvis fur non suspenda-
tur, sed ad triremes damnetur, semper judex operatur intra latitudi-
nem justæ mensuræ, & justitiæ : Sic ad rem, major pœna potuit taxa-
ri pro peccato, Deus tamen pro suâ innatâ misericordiâ, & pietate
non summam, non mediam, sed infimam quam potuit, justam esse
decrevit : ergo cum non solum in præmio justo pro bonis, verum & in
pœnâ pro malis possit esse latitudo secundum prudentem æstimo-
nem, Deus intra illam latitudinem reddet pro malis infimam pœnam,
& pro bonis præmium summum, etiamsi nihil conferat ultra merito-
rum condignitatem. In hoc utique sensu Deus præmiat ultra condig-
num, & punit citra condignum.

Sed

17. Sed oppones primò Divum Jacobum in suâ Epistolâ Catholi-
câ cap. 2. asserentem : *Judicium sine misericordia fiet illi, qui non fecit
misericordiam.* Sed damnati in viâ misericordiam non fecerunt: ergo ju-
diciu sine misericordiâ fiet illis; sed dum judicium fit sine miseri-
cordiâ, totum illud ad purissimam justitiam spectat : igitur in judicio,
sive damnatorum punitione non immiscetur justitia cum misericordiâ.

18. Respondet Magister, Apostoli dictum sic esse exponendum,
Deum sine misericordiâ judicium facere, quia justitiam exercet sine
misericordiâ omnino liberante, & salvante, quanvis non sine miseri-
cordiâ leniente, & mitigante pœnas peccatis condignas; sicque in
damnatorum supplicio justitia cum misericordiâ cohæret.

19. Oppones secundo Augustinum super Psalm. 19. dicentem: *Mi-
sericordia hic, judicium in futuro.* Ergo solum hic ad puniendum im-
miscet Deus justitiam cum misericordiâ; proindeque in judicio pure
ex justitiâ punit; sed ubi Deus pure ex justitiâ punit, ibi nulla spes
misericordiæ apparet: ergo in damnatorum punitione nulla erit miseri-
cordiâ, cum Deus in ipsos pure ex justitiâ pœnas infliget.

20. Respondet Magister, quod dicitur misericordiâ hic, & judi-
cium in futuro; quia intra statum viæ etiam circa reprobos magis elu-
cet misericordiâ, quam justitiâ; & è contra, extra viæ statum magis
justitiâ, quam misericordiâ splendet, ut exploratum extat; non verò
intendit Augustinus, quod Deus cum reprobis aliquam non exerceat
in judicio misericordiam, quia, ut ex ipso experdimus supra, ab ini-
tuo damnationis eorum aliquam Deus ex misericordiâ mitigabit
pœnam.

21. Oppones tertio ipsum Augustinum iterum se obvium dantem,
dum expendens illud Psalm. 24. *Universa via Domini misericordiâ, &
veritas,* ait: *Erga Sanctos omnes via Dei misericordiâ; erga iniquos om-
nes veritas; quia ubi non miseretur, vindicta veritas datur.* Ergo om-
nes viæ Domini sunt misericordiâ erga Sanctos, & veritas sive justitiâ
erga reprobos. Ergo ubi Deus non miseretur, ibi vindictæ veritas da-
tur; sed Deus reprobos in judicio non miseretur, siquidem ipsis non
parcet: ergo vindictæ meram justitiam ita exercet in reprobos, ut cun-
ctas eis misericordiæ vias præcludat.

22. Respondet Magister huic ferè ineluctabili instantiâ, nonnullas
primæ Augustini authoritatis parti satis subtiles ac disertas adhiben-
do expositiones. Primò, universæ viæ Domini quibus Deus ad nos ve-
nit, aptissimè appellantur misericordiâ, & veritas; quia ut innuit Augu-
stinus, duo sunt Dei ad homines adventus. Primus, in quo Deus factus

ho-

homo, multifariam suam hominibus ineffabilem misericordiam exhibuit. Secundus, in quo iudex vivorum, & mortuorum constitutus, poenam, & gloriam aeternam, aequissime ponderatis hominum meritis, & demeritis, unicuique eorum conferet, prout in hac vita se gessit.

23. Secundò, viæ Domini non solum dicuntur illæ, per quas nos in Deum incedimus; verum & misericordia, & veritas merito appellantur; quia propriè misericordia Domini est, quæ bonum facimus; sicut & iustitia Dei, quæ declinamus à malo: ergo omne absolvitur meriti, quò in Deum tendimus: ergo viæ Domini satis innotescunt omnibus, dum misericordiâ Dei operamur bonum, & illius iustitiâ destitimus à malo.

24. Ad secundam Augustini autoritatis partem, scilicet, viam Domini esse iustitiam erga reprobos, ubi non miseretur, etiam respondet Magister, Augustinum exponendum fore de iustitiâ excedente misericordiam, quando in iudicio reprobos post multam misericordiam suæ infinitæ bonitatis horrendis ac diris destinabit suppliciis. Caterum, cum Magister semper insistere debemus, quòd circa damnatos aliqua Dei misericordia in eorum elucet castigatione, non tamen sic, quòd per eam à peccatis, vel damnatione absolvantur.

25. Postea obiter inquirat Magister, quid per occultum Dei iudicium intelligatur? Cui interrogationi triplici respondet viâ ex Augustino super Psalm. 8. & 35. Magister ipse. Primò, iudicium Dei quandoque intelligitur poena, quæ quisque exercetur ad purgationem, vel movetur ad conversionem, vel si contemnit, execratur ad damnationem.

26. Secundò etiam iudicia Dei interdum appellantur dispositiones, vel decreta, sive dispensationes ejus de omnibus rebus. Unde Paulus ad Rom. cap. 11. mirabundus exclamavit, dicens: *Quam incomprehensibilia sunt iudicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Et Regius Psaltes Psalm. 35. *Judicia ejus abyssus multa.* Ergo non incongrue iudicia profunda Dei iis arcanis deprehenduntur eloquiis.

27. Tertio demum, iudicium Domini accipitur pro finali iudicis sententiâ, quæ ventilabitur area, idest, dividuntur localiter boni à malis ministerio Angelorum, quemadmodum pastor segregat oves ab hœdis: Et statuet oves quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris; fietque tunc discussio, quam Matthæus refert cap. 25. Unde boni in vitam ducentur, mali verò in supplicium mittentur, qui modò simul admixti sunt. Hactenus Magister de velatâ obseratâque iudiciorum Dei intelligentiâ.

Sed

28. Sed oppones Regem Vatem Psalm. 118. dicentem: *In labiis meis pronunciaui omnia iudicia oris tui.* Sed qui valet pronunciare iudicia Domini, etiam est potens ea medullitus comprehendere: ergo iudicia Dei non sunt incomprehensibilia: ergo non benè discursat Magister, dum Dei vocat incomprehensibilia iudicia, & investigabiles vias ejus.

29. Respondetur negando Consequentiam. Nam Regius Psaltes non in proprio de iudiciorum Dei alloquitur sensu; quemadmodum nos in conclusione propugnamus. Et quidem, cum reverà loquatur de præceptis judicativis, quæ in veteri vigeant lege, & passim in Psalmo appellantur iudicia; de quibus non ambigimus posse proferri, & comprehendere. Nos autem propriè de iudiciis Dei differimus, quippè de decretis, sive dispositionibus divinis, quæ omnia merito incomprehensibilia dicuntur quantum ad cognitionem, quia ante fiunt, quam ad nostram cognitionem deducantur: At, si aliquando cognosceremus ea, nunquam tamen modum, quò Deus ipsa decrevit, nisi Spiritus Domini revelaret, qui profunda Dei scrutatur. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

30. PRO SECUNDÆ autem, & ultimæ distinctionis partis plenâ ostensione, hæc alia statuitur thesis: *Tametsi misericordia, & iustitia idem sint in ordine ad divinam essentiam; nihilominus respectu diversorum sensuum, & affectuum in creaturis distinguuntur.* Hanc etiam ex Magistro proferimus conclusionem, dum in textus litterâ quaerit: Si misericordia, & iustitia idem sunt in ordine ad divinam essentiam, quare alia misericordiae, & iustitiæ alia attribuuntur opera?

31. Et respondet Magister, hoc duntaxat oriri, aut ex connotatorum diversitate, aut conceptuum diversorum multiplicatione, aut ex varietate effectuum in creaturis; vel ut aliis placet, ob multiplices formalitates, sive virtualitates, quas concipimus in Deo, modò actu fingente intellectu, modò non, quemadmodum unusquisque suo abundat sensu, prout propria Scholæ doctrinâ imbutus.

32. Jam primam thesisi partem probat primò Magister: Illa sunt idem realiter, quæ realiter identificantur; sed misericordia, & iustitia realiter identificantur in ordine ad divinam essentiam: ergo misericordia, & iustitia sunt idem realiter in ordine ad eandem essentiam. Minorem probat: Eò Deus realiter misericors est, quò iustus est, & è contra, eò iustus est, quò misericors est; sed ex eò quòd aliud non sit esse misericordem, quam iustum; nec iustum, quam misericordem, misericordia, & iustitia realiter identificantur essentiæ divinæ: ergo ab illâ realiter non dissident.

Se-